

MARTINVS SCHIMPFFERVS ABBAS SCHUUARTZA-  
chenfis.



**M**artinus natus est Badenis marchionum anno millesimo quingentesimo quarto. Is primò in patria operam literis dedit, & bonarum artium fundamenta feliciter iecit. Postea sese in vicinum monasterium Schuuartzach contulit, & ut commodius studijs incumbere posset, ordinē Benedictinorum assumpsit anno 1520. In eo loco diligenter sese in sacris literis exercuit, & tales sese erga superiores & æquales exhibuit, ut anno 1536 Protocellarij, & tandem 1548 Abbatis nomen & officium obtinuerit. Itaq; ipse sua frugalitate æs alienum ab antecessore conflatuū soluit, & in virtutibus pergendo cæteris exemplo fuit. Id cum fratres in Schutteren monasterio vicino intellexissent, eum quoq; suum abbate elegerunt, Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo. Vnde Martinus eos accessit, & solita māsuetudine cuncta ordinauit. Cum uero omnia recte disposuisset, anno quinto eā Abbatia ipsiis resignauit, & in Schuuartzach rediens ea Abbatia contentus fuit.